DE ISCHIADE GENERATIM SUMPTA DISSERTATIO QUAM AD...

Giovanni Colognato

DE

ISCHIADE GENERATIM SUMPTA

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS HONORES

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

ASSEQUENDOS

MENSE MARTIO ANN. MDCCCXXIX.

IN CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

RITE DEFENDIT

IOANNES COLOGNATO

VERONENSIS

EX TREMNIACO

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXIX.

Etsi me non lateat, nihil vel saltem exiguum laudis illum habere, qui aliorum res transcribit, quique maxime deductas ab aliorum experientia observationes in medium affert; tamen, cum lex academica aliquid mihi de medica re dicendum praescribat, quod minime novum proferri debet ab adolescente hanc sacram scientiarum sedem relicturo; ita ego judico opportunum esse, omissis quibuscumque hypothesibus, facta ipsa sequi, et id brevi colligere, quod homines celeberrimi sapienter disseruerunt de morbo, qui non solum diutius humano generi inhaeret, sed etiam, nisi tempestive remedia adhibeantur, extremum fatum potest sollicitare.

Sciunt omnes, dolorem obstinatissimum, qui juxta coxam quandoque exsurgit, et sedem suam propriam habet ad superiorem femoris articulationem, ita ut plus minusve artus inflexiones impediantur, *ischiadem* Graece, Itale *sciatica* nominari. Etiam veteribus medicis innotuit hujusmodi affectio nomine ischiadis *verae*, aut *notae*, aut *tabicae* (1). In *Arthriticam* deinceps, et in *Nervosam* distributa est. "Duae igitur summae possunt is-

(1) In Hippocrat. De affect. l. 2. ver. 25. p. 166

„ chiadis species constitui: altera, in qua dolor „ fixus in coxa ulterius non excurrit; altera ve- „ ro, in qua subjectum laesae coxae pedem con- „ tinuo tractu propagatus attingit (1). „ Nostri denique magis proprie hunc morbum distinxerunt pro variis causis, a quibus oritur; hinc est ischias Phlegmonosa, Arthritica, Rheumatica, Siphylitica, Scrophulosa, Variolosa, Herpetica, Exanthematica etc. (2). Cotunius ischiadem Nervosam, de qua solum satis eloquenter et erudite disputavit, nihil aliud esse ait, quam collectionem humoris acris, aut redundantis inter cellulas illius laxae cellulosae, quae magis extra coxae nervos occupat; unde eam in *Posticam*, et in *Anticam* divisit, quod " posticas insideat coxae partes, to- „ taque fundetur in ischiadici nervi affectione, „ ischiadem nervosam posticam appello: alteram, „ quod coxae priora possideat, nervique cruralis „ passione generetur, nervosam ischiadem anti- „ cam nominabo. „

Sub his phaenomenis quaecumque ischiadis species explicari potest: nunc lentius, nunc ex improviso dolor plus minusve vehemens ad superiorem femoris articulationem exsurgit, qui deinde propagatur superius ad os sacrum, vel ad lumbos, et inferius juxta coxam ad externum, vel ad internum latus, pertingens usque ad poplitem, et aliquando ad dorsum pedis, et ad apicem digi-

(1) Colum. De Ischiade nervosa Cap. 2.
(2) Palletta Exercit. Patholog. Cap. 5.

torum; uno verbo, dolor iste viam sequitur praecipuarum divisionum nervosarum coxae longitudinem percurrentium. Quamobrem ischias modo continua, modo intermittens est; nunc dolor aegrum diu noctuque sine ullo intervallo torquet, nunc sub vesperum acerbior fit, et sub auroram lenior, et contra. Plerumque calor ipse lecti dolorem auget, minuit vero aeris liberioris contactus; aliquando typum ab initio continuum habet, et temporis progressu periodicum; fieri etiam nullo modo potest, ut artus in vehementia doloris vel minimum moveatur; affectio saepe, maxime in principio, localis est, sed postea majori, vel minori reactioni febrili consociatur; tandem affectio universalis subsequi potest.

Morbosa symptomata, quae enuntiavimus, in ischiade nervosa excluduntur a quibusdam Auctoribus, qui existimant, morbi praecipuam causam et sedem in nervo, vel in ejusdem involucris inesse. In his est idem Cotunius, qui ea ipsa enumerat, cum de nervosa ischiade agit; sed plerique alii, in primis memoratus Palletta, re ipsa nos convincunt, nullum vere judicium ferri posse de specie hujus morbi, deductum ex simplici manifestatione horum symptomatum, sed necessarium esse examen diligentissimum differentium causarum morbosarum, quae ante morbi explicationem exstiterunt, aut eodem perdurante locum babent, ut plus minusve ad veritatis cognitionem accedere possimus. Itaque ipse demonstrat, quamplurimos ischiade affectos, et subjectos curae, perinde ac si morbus

nervosae esset indolis, quia nimirum, ut putabatur, hujusmodi symptomata praeseferebat, fuisse tamdem morte absumptos; ubi autem cadavera secta sunt, pathologicam morbi conditionem non jam in nervo, nec in ejus involucris, nec in partibus iisdem propinquioribus, quae omnino sanae erant, constitisse; sed e contrario in carie ossium, vel in exostosi, vel in turgescentia, vel in majori minorive cartilaginum, aut ligamentorum cavitatem cotiloideam circumdantium dissolutione, vel in profunda suppuratione, quae inter quosdam coxae musculos latitaret. Quae quidem organicae affectiones quomodo unquam oriri potuissent ex simplici primitiva perturbatione nervosa, quae ad illas partes propagata reliquerit in iisdem tam certa dissolutionis indicia, nullum autem vestigium, nullamque conspicuam mutationem, sin minus in substantia nervosa, saltem in ejus involucris vaginalibus, vel in propinquioribus partibus? Necesse erit igitur concludere, morbum a primo suo exordio in quodam ex textibus articulationem efficientibus fuisse explicatum et infixum; unde ex consenso, aut ex partium continuitate ad nervum ipsum talem perturbationem transmitteret, ut illa symptomata consequerentur, quae nervosa appellamus, quamquam in ipso nec causa, nec praecipua morbi sedes exsisteret. Sic vero laudatus Auctor concludit: "Itaque si vasa, " vel musculi, qui radicibus nervosi proximi sunt, " vel eos excipiunt, inflammentur, etsi circa os " vel coxae articulum, quem ischiaticus nervus

„ transcendit, abacessus fit; nil mirum, si nervuli,
„ ex quibus ischiaticus ille compingitur, vel qui
„ ab eodem discedunt, male afficiantur, dolorem-
„ que toti trunco ischiatico, et partibus, in quas
„ vel surculi ejusdem nervosi abeunt, impertian-
„ tur. „

Ex iis, quae hactenus diximus, satis liquet, quam difficile sit differentiam statuere, quae inter varias has ischiadis species intercedit cum non solum una alterius formam induere, sed etiam quaelibet harum confundi possit cum alio morbo articulationis proprio, quem nomine *coxitis* distinguimus: *Ischiadi valde affinis est morbus coxarius, et quid inter utramque discriminis intersit, nondum satis liquet.* Ita Palletta.

Quoad universum examen etbiologicum, illud est, in quo magis, quam in alia re, omnes Auctorea conveniunt. Certe artus inferiores prae quacumque alia corporis parte ad hoc morbi genus praedisponuntur ex multiplici nervi ischiatici cum spinali medulla origine, ex sua peculiari latitudine prae quolibet alio nervo, sive hic sit in aliquibus locis valde supereminens, sive ob sua involucra cellulosa singulari lassitudine praedita; in primis vero praedisponuntur ex multiplici numero vasorum, quae excurrunt varie complicata inter textus, qui superiorem femoris articulationem ambiunt (quemadmodum celeberrimus Anatomicus Ruischius experimentis suis tradit), et ex ipsis functionibus, ad quas hae partes destinantur continuis viventis corporis exercitationibus.

Si igitur ob allatas causas hae partes, quae artus inferiores componunt, et praesertin superiorem articulationem femoris constituunt atque circumdant, magis, quam partes aliae, morbosarum actionum impressionem sentiunt; consequens est, intervenire necessario debere agentia, quae frequentius hujusmodi perturbationem augeant. In his habentur generatim improvisa artuum, vel totius corporis refrigeratio, functionis excrementitiae suppressio, effluentis puris cessatio; hinc intempestiva intermissio mensilium purgationum, lactis, lochiorum, haemorrhoidum, plagarum, ulcerum; hinc exanthematicarum et herpeticarum eruptionum compressio subita, et rheumaticae, siphyliticae, variolosae, scrophulosae, et alicujus similis materiae ad has partes translatio; denique contusiones, musculorum contorsiones, quae in magno labore, aut in ingentium ponderum sublatione saepe contingunt.

Omnia nunc brevi praecidamus, et de ischiatici morbi pathogenia nonnihil memoremus. Si ex morbosorum effectuum consideratione cognosci causae possunt, unde ipsi manant; certum indubitatumque est, praeternaturales alterationes, quas in cadaverum sectione nonnulli deprehenderunt, originem suam demonstrare ex phlogistica affectione. Revera hydrops nervorum coxae, musculorum et ligamentorum abrasiones et dissolutiones, accedente suppuratione, praeterea caries ossium, exostoses, excrescentiae carnosae, quae omnia in his casibus observata fuerunt, veritatem argumenti

plena in luce collocant. Id etiam eo magis evincitur ab examine causarum, quae similes affectiones gignere potuerunt. Certe hae, ut ex descriptione ethiologica apparuit, in duas classes tribui possunt, nimirum in *excitantes*, et in *irritantes*, primae enim augmentum actionis vitalis organismo inferunt; secundae perturbationem ejusdem actionis inducunt, quae progressu temporis processui phlogistico adjuncta propendet necessario ad productionem morbosorum effectuum iis similium, quos aucta vitalitas secum affert.

Quod si in pluribus ischiadicorum morborum casibus facta habemus, quae praeexsistentem phlogisticam conditionem demonstrant; videtur mihi posse concludere ex consequenti analogia (sola magistra philosophi observatoris, cui facta desunt) etiam in illis casibus, in quibus nullum organicae alterationis vestigium apparet, tribuendam esse mortem ischiade affectorum eidem morbosae conditioni, non jam aliis causis ignotae indolis, in quod nec facta, nec analogiae concurrunt. Quapropter idem Palletta hac in re sic ait: » Quae » omnia si attentius perpendantur, dolorem prae» cipue individuum coxae passionis comitem, ac » denique claudicationem cum insigni articuli labe » conjunctam; dein si haec symptomata conferre » lubeat cum iis, quae nervorum ut plurimum » passionibus supervenire solent, longe ab modo » memoratis signis diversa; tum fateri necesse erit, » dirum hunc morbum, ab inflammatione partium » coxae articulum componentium proficisci ».

Quemadmodum vero hic morbus ab initio indolem inflammatoriam, vel saltem irritativo-phlogisticam praesefert, ita necessario consequitur, primam curam esse deprimendi localiter, aut etiam, si opus est, universaliter immodicam vitalem reactionem. Profecto «ab initiis (Cotunius asserit), » quando saevior est et continentior ischias, mire » semper profuit sanguinis missio, quae levavit » semper morbum, quandoque etiam exstinxit». Hic autem quaestio est vehementissime agitata, utrum sanguis immediate ab artu affecto mitti debeat, an vero in puncto ab eo plus minusve distanti, ut exsistat punctum quod dicunt antagonismi, sanguinei cursus cum parte affecta. Licet, qui postremam opinionem sequuntur, speciem quandam veri, et rationem praeseferre videantur; tamen contra illos stant facta, quae totam quaestionem dirimunt. «Cum autem claris viris a pe» de affecti (Cotun. de ischiade nervosa) mire lau» datam legerem sanguinis missionem, ut quae » saepe dolorem paene instanter exstinxisset, cum » vellem incredulus experiri, inveni rem veram».

Sed praeter sanguinis missiones, prout morbus saevit vel simpliciter localis, vel plus minusve universalis, adhibentur utiliter purgantia, et praesertim clysteria. Egregie itaque Hippocrates, ut est apud Caelium Aurelianum, utilem ischiadicis dysenteriam affirmavit. Aurantius quoque: tanta est, inquit, in ischiadico dolore, praesertim incipiente, enematum facultas, ut ipsa nullo praeter clystores adhibito medicamento, plures graviter af-

fectos in pristinam sanitatem perduxerint» (De tumor. p. 2. cap. 5.).

Jam alibi notavimus, quamplures esse causas, quae hujusmodi morbum explicent, et obstinatum faciant. Hinc ubi ipse vigeret ob dyscrasiam arthriticam, siphyliticam, scrophulosam, cura adhiberi debet his affectionibus conveniens, et praeter methodum antiphlogisticam usus remediorum necessarius est, quae maxime efficacia in similibus morbis habentur.

Quamquam vero diligentia omnis in curatione collocetur, tamen perfecte morbus non semper resolvitur in suo exitu; desinit enim ipse plerumque in unam, aut in aliam ex iis affectionibus, quas superius diximus, et quae interdum difficilius, quam primitivus morbus, curantur. Sed omittimus hic easdem explicare singillatim, ne longior, quam par est, oratio nostra evadat: id tantum dicimus, hujusmodi reliquiis morbosis curandis inservire vesicatoria, causticum actuale, et diversas unguentorum et linimentorum species. Haec autem non semper profuerunt ad ea summovenda, quae post se ischias reliquit, in quibus e contrario localis applicatio alicujus non probati in medicina remedii valde juvit. Nec sane mirum esse debet, si remedia empirice adhibita magis valuerint aliquando, quam ea, quae ratio et doctrina studiosissime excogitavit. Quamobrem audiamus insignem virum Palletta, de quo toties memoravimus, quid in hac re ipse sentiat: «Sed » quis crederet? validioribus saepo adhibitis phar-

» maeis ischiadem non cessisse, profligatam vero » fuisse ignobilibus quibusdam unguentis extrinse» cus admotis? Memini non incelebrem medicum » hujus urbis post universales, ut ajunt, evacua» tiones solitum fuisse praecipere linimentum, quod » ad ignem dolenti parti illinitum intra tres fere » dies dolorem exstinguebat ».

Ego ipse homine quodam (1) utor familiarissime, qui ex eo sibi nomen promeruit, quod plurimas ischiades feliciss̄ime curaverit, veteres fere omnes, et pharmacis rebelles a celeberrimorum Practicorum experientia atque doctrina propositis. Ejusdem amicitiae satisfacere arbitror, si ad extremum sermonis hanc simplicissimam illius methodum, quamquam breviter, attingam, cum in ea sim sententia diffuse alias de hac re pertractare.

Itaque ille ad ignem admovet dimidium librae farinae, ex seminibus sinapis, injectae in vinum merum album, quantum satis est, et tamdiu bullire praescribit, quamdiu emplastrum efficiatur; hoc deinde super pannum coccineum paulo amplius, quam manus patet, latum extendit, cujus medium aspergit scrupulo pulveris cantharidum; praeterea applicat valde calefactum aut post magnum trochanterem, aut ad inguina, juxta primariam doloris sedem. Elapsis duabus horis, emplastrum amovet, frictionem continuo per aliqua horae minuta agit in omnem partem, ubi prius emplastrum inhaeserat, uncia unguenti rosati-malvini, et id duabus vicibus cum intervallo horae

(1) Joannes Baptista a Zovio.

dimidiae. Post haec cedit extemplo, ait ille, doloris acerbitas, nec aliud superest, quam formicatio juxta artum, ubi antea dolor propagabatur; quae ut tandem vincatur, per pauca minuta vespere et mane duabus hebdomadibus frictio adhibetur cum alio unguento ita composito: solvuntur in olla 4. unciae axungiae suillae; adduntur deinde 4. unciae olei communis, 2. unciae lumbricorum terrestrium, et uncia una foliorum rorismarini viridium contusorum; haec omnia simul commixta ad ignem bulliunt decem minutis, inde colantur, et colatura jam refrigerata huic frictioni inservit.

Idem ipse hujus methodi Auctor affirmat, sc, cura externa durante, instituere quandoque etiam curam internam, si aeger viribus valde destituatur: haec a principio consistit in dimidia uncia chinae flavae, et in syrupo, quod bis per diem sumitur, et constat ex duabus partibus radicum contusae valerianae cum tertia arnicae montanae; dosis autem ea est, ut rea fert.

Tandem asserit, aegrotum, etiamsi a multo tempore ita affectus sit, dummodo claudicatio, aut dissolutio textuum absit, et morbus contagiosum principium non habeat, posse experiri utilissimam hujusmodi curam, quae semper felicem effectum consecuta, nec unquam hominem in similes morbos recidisse passa est.

616

THESES

I.

Sedes causae proximae febris intermittentis in nervo sympathico sita esse videtur.

II.

Sulphas chininae alias febrem intermittentem tollit, alias successu caret.

III.

Anatomes in practico medicinae aeque ac chirurgiae exercitio summopere necessaria.